

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Praefatio ex editione A. Cornelii Celsi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

PRAEFATIO

EX EDITIONE

A. CORNELII CELSI.

LECTORI ERUDITO

S. D.

SAMUEL ET JOANNES LUCHTMANS (*).

Cum nova, et ea quidem superioribus luculentior, Celsi Editio a nobis postularetur, statim circumspicere coepimus virum eruditum, qui Medicinae studium cum justa literarum, praesertim Latinarum, scientia ita conjunxisset, ut Editoris partes recte et cum laude sustinere posset. Quo frustra in Batavis et alibi quaesito, ipsi rem arduam suscepimus, et nostro Marte utcunque perfecimus, in consilium, ubi opus esset, adhibentes virum doctum, et in his literis versatum. De hujus prudenti admonitione, repudiato textu Lindeniano, quem Almelveenius etiam securus erat, Editionis nostrae quasi basin fecimus exemplum illud, quod ex recensione Leonardi Targae Patavii 1769. 4. prodiit. Hic vir egregius, e Morgagni excellenti disciplina profectus, et magistri in Celso emendando studium acmulatus, Celsum ad fi-

[(*) Hanc praefationem Ruhnkenio tribuit Wyttenbachius, V. Cl., Bibl. Crit. P. XII. p. 113. sive Opusc. Wytte. Vol. I. p. 703.]

dem Manuscriptorum, inprimis veterrimi Medicei, tanta cura, et tam docta crisi recensuit, ut vere praedicari possit, hanc unam ex tanta copia, ad nostram usque memoriam, Editionem esse, quae Celsum integrum et illibatum exhibeat. Nec tamen satis habuimus Targae Editionem simpliciter repetiisse, sed commendationis aliquid etiam aliunde paravimus. Ita Celso nostro praemissa est elegantissima *de Celsi aetate* Dissertatio, scripta a Joanne Ludovico Bianconio, clari nominis Medico, quem ob editionem valde laudat Cl. Ernestus ad Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 44. Quod argumentum cum Bianconius per Epistolas ad Tiraboschium lingua Italica scriptas late explicuisset, mox, rogatu nostro, totius rei summam paucioribus paginis conclusit, et Latine versam, paulo ante mortem, nobiscum communicavit. Eodem tempore forte in manus nostras venit vetusta Celsi membrana, nondum ab aliis collata, cujus Variantes, excerpendas, et Editioni nostrae adjiciendas curavimus. Variorum quoque Notas, in hac Editione, quae in hac urbe a 1746. prodiit, receptas, auximus Krausianis e Lipsiensi exemplari sumptis. Sed praecipuum huic Editioni ornamentum conciliat Index omnium verborum, sive Lexicon Celsianum, a viro doctissimo, Georgio Matthiae, Medicinae in Academia Gottingensi Professore, tam perite et scienter confectum, ut non uni Celso sive explicando, sive corrigendo, sed universae Latinitati profuturum arbitremur. Tale Lexicon olim condiderat Joannes Rhodius, quod incendio periit. Tale etiam in praefatione ad Celsum promisit Cl. Targa. Sed

res intra voluntatem stetit. Fuit autem clarissimus Matthiae, qui et ipse Celsi Editionem parabat, eo magis idoneus ad hujusmodi Lexicon conficiendum, quo diutius, sub Gesneri auspiciis, in hoc genere laboris versatus erat. Hic enim Gesnero assiduam operam navavit in Latinae linguae Thesuro construendo. Ceterum ille Celsi Index apud Matthiae heredes in tenebris jacuit, donec aere nostro redemptus est, et per hujus Editionis occasionem in lucem vindicatus. Vale, erudite Lector, et nobis, si meremur, fave.

— Ao. MDCCLXXXV.